

generis *sancti* tales se esse probant *externa* religionis Christianæ professione; posterioris generis tales sunt, per *internam* cum Christo *communione*, fideique per charitatem demonstrationem. Unde Apologia *Art. VII.* docet, *Ecclesiam esse homines sparsos per totum orbem, qui de Evangelio consentiunt, & habent eundem Christum, eundem Spiritum S. & eadem Sacramenta &c.*

§. V. Bellarminus *L. III. de Eccles. c. 2.* eandem definit, quod sit *cœtus hominum, ejusdem Christianæ fidei professione & eorundem sacramentorum communione, sub regimine legitimorum Pastorum & præcipue unius Christi in terris vicarii, Romani Pontificis, colligatus.* Cujus vestigia legit Gregor. de *Valentia, Tom. III. Comment. Disp. I. Qu. 1. col. 169.* scribens: *Vera Christi Ecclesia alia non est, nisi ea fidelium congregatio, quæ paret Romano Pontifici pro tempore existenti.* Quam sententiam *P. Valerianus in Colloqu. Rheinfelsensi,* repetiit his verbis: *Dicimus, homines communicantes in fide cum Pontifice Rom. constituere illum cœtum, qui solus est vera Ecclesia Christi, p. 11.*

§. VI. Sed enim hoc ipsum, quod Ecclesia sit *cœtus sub regimine Romani Pontificis colligatus,* Pontificii olim Augustæ Vindelicorum non ausi sunt requirere ad Ecclesiam, nec id in ullis etiam veteribus lexicis, ac ne in ipso quidem Catechismo Romano, requiritur. Primus igitur, ut opinor, *Bellarminus* adjecit, quo excluderet schismaticos, Græcos, & hæreticos ab Ecclesia, quem hac in parte recentiores Jesuitæ sequuntur, sed timide. Utut enim, præter jam citatos, etiam *Becanus, Lesius,* alique, hoc membrum ad essentialem Ecclesiæ definitionem requirant, *Pazmannus* tamen in *Hodeg. L. VIII. 1.* fatetur, illud non esse de essentiali Ecclesiæ, nec se privare posse totum orientem, sub Romani Pontificis

cis